

QK 342, 25

Kal. 1795

Versus Epithalamij.
IN FESTIVITATE NV-
PTIARVM



REVERENDI VI-
RI, RELIGIOSA PIETATE,
VIRTUTE ATQVE DOCTRINA ERV-
dita commendatissimi Dn. M. GEORGII VVEIN-
RICHII, Diaconi Ecclesiae Saliffensis in
Turingia fidelis.

ET
CASTISSIMÆ VIRGI-
NIS CECILIAE, INTEGERRI-
mi ornatissimiq; viri VVOLFGANGI PEILICII,
quondam Scholae illustris ad Muldam Oeco-
nomi, relictae filiae, νεογάμων.

*Cum solenni votorum appreciatione, ab ami-
cis boni ominis ergo decantati.*

Ad XII. Calend. Maias. Anni

M. D. LXXXV.

1897/193. ~~1912~~ 223

L I P S I A E.


IMPRIMEBAT IOANNES
STEINMAN.



Pauli Silentiarī.

Καλὰ τὰ παρθενίης κημήλια, παρθενίη δὲ
τὸν βίον ᾤλεσεν ἂν πᾶσι φυλαττομένη.
Τ᾽νεκα ἐνθέσμως ἄλοχον λάβε, καὶ τίνα κόσμω
Δὸς βροτὸν ἀντισέθεν, Φεῦγε δὲ μαχλοσιώλω.

*Est bona virginitas, sed se consumeret ipsam,
Cum specie, cunctis si retinenda foret.
Ergo tibi ut similem generes, pius esto maritus,
Et ceu claustra lupi, sic fuge lustra lupæ.*



M. G E O R G I O

V V E I N R I C H I O T H E O L O -
G O, & C E C I L I A E P E L I C A N A E

νεογάμοις.

T A e d i s m e i s i u g a l i b u s
D o c t o e f f e r e b a s c a r m i n e
C a s t a s S o p h o r u m n u p t i a s,
G r a t a s D e o, m u n d o v t i l e s.

T a e d i s t u i s i u g a l i b u s
D i g n u m G E O R G I, q u i d c a n a m ?
N u m ? q u o d f a c r o r u m a n t i s t i t e m
D e c e t m a r i t a l i s t h o r u s ?

H o c P a p a S i r i c i u s n e g a t,
R a f a e q u e t u r b a e d i s p l i c e t,
S i q u e m r e l i c t a c a e l i b e
V i t a, i u u a t c o n n u b i u m.

C a s t r a r e p r o r e g n o D E I
I l l u m i u b e t s e, q u i s u u m
H u i c o r d i n i n o m e n d e d i t,
T e m p l o q u e d e s t i n a t u s e s t.

S e d q u a n t a p a r s h o m i n u m c a p i t
H a e c v e r b a ? p l u r i m i i n t e r i m
V r u n t u r, h a u d n u b u n t t a m e n,

A 2

I p s i s



Ipsis sibi malè conscij.
Quid? virginalis castitas
Replet polum? replet solum
Tantum maritus? nec valet
Dei vacare cultui?
Et coniugalis castitas
Replet polum: cum compare
Cum liberis ardentius
Vir fundit ad Deum preces.
Impure cælebs tartara
Replebis, & libidinis
Pœnas lues nefariæ
Nullis morituras feculis.
Ergo GEORGI coniugis
Lætare complexu tuæ.
Papæ truci pro fulmine
Certam Dei sperans opem.
Cultor noualis es DEI,
Diuesque vitium fator,
Si nomen omen continet
Sponso quis est felicior?
Nouale Thuringum tuis
Committitur laboribus,

Id li-

Id liberatum sentibus
Fruges refundet vberes.
Fœcunda vitis vxor est,
Hæc alligata suauiter
Collo tuo, anno Romuli
Facies vocari te patrem.
O quàm fideli creditum
Seruo talentum? quod finit
Ne noctibus quiescere,
Quin fœnus addat fœnori.
Larga DEVS reddat manu
Sudoribus pro maximis,
Quod te tuamque coniugem
Et liberos iuuet, beet.

M. Barthol. Uualtherus.

A L I V D.

A Deste hendecasyllabi, nouisq;
Quæuis fausta precamini maritis,
Lectum inire parantibus iugalem.
Qui primùm instituit Deus marita
Sacra, & qui sociavit. Euam Adamo,

A 3

Et

Et sic coniugij faces sacravit :
Idem his coniugibus sui favore
Adsit numinis, & suam Georgio
Fungat Ceciliam, insolubiliq;
Nexu pectora copulet manusq;
Ut sic corpora bina colligata,
Et mentes gemina, deinde corpus
Sint unum, maneantq; pectus unum
Virum nupta colat, suamq; sponsam
Amet V Weinrichius bonam, bonisq;
Ex parentibus editam: quis est nam,
Quem genus lateat Pelliciorum?
Fasces urbis auus tenet, senemq;
Refert Nestora consiliis & annis.
At sponsa patruus diu paterna
Laudis iam amulus, inter ipse patres
Conscriptos sedet, atq; iura dicit.
Et patrem integritas sat ipsa laudat,
Quem iam nunc superare, vesci & aura
Optant, Molides, invidere sed cum
Nobis fata virum, ingemunt dolentes
Extinctum, querulumq; carmen eius
Ad bustum repetunt, pioq; sanctos

Prose-

*Prosequuntur adhuc amore manes.
Sed hac nil nisi leta postulat lux,
Curæ ergo valeant, hymen sed adsit
Autor læticiæ, doloris osor.
Sit sponsis benè, sitq; pax amica
Fpsorum in thalamo, feracitasq;
Si quid triste timetur, æstuosum
Vis ventorum id agat per æquor omne.
Atq; hæc Uueinrichio Pelliciaq;
Maritoq; nouo, nouaq; nuptæ
Jam nostri hendecasyllabi precantur.*

Iacobus Furmanus.

A L I V D.

Dic mihi, Pieridum cultor, venerande Magister,
Cur pia sit sponso dulce puella nouo?
Dic mihi, cur iuuenis tenero sub flore iuuentæ
Quilibet amplexum virginis vsq; petat?
Non Themidis vates cultorq; Machaonis artis,
Pandere nec causas Phocidos vnda potest.
Solut at exponens ortum mundi q; figuras,
Quem tractas, Moses ista rogata docet.
Cùm **D E V S** è terra patrem formasset Adamum,
E lateris costa facta marita fuit.

Nam

Nam cum primus homo laxasset membra quiete,
 Ecce sibi costam sustulit ipse D E V S.
 Ex qua post nostri genitricem condidit Euam,
 Adamo fecit participemq; tori.
 Inde sibi costam sublatam quisq; requirens
 Hæret in amplexu virginis vsq; suæ.
 Ergo tuam meritò costam noue sponse requiris
 V V E I N R I C H , Aonij gloria magna chori.
 Nam, veluti signat corpus, testantur & artus,
 Corpore magna tuo costa reuulsa fuit.
 Ex hac C A E C I L I A M fecit Deus, arbiter Orbis,
 Spem mentis solidam dimidiumq; tuæ.
 Gratulor ergo tibi de costa, docte Magister,
 Quam iungis lateri restituendo tuo.
 Viue diu felix superando Nestoris annos,
 Atq; regant classem vela secunda tuam.

M. Alexander Becker VVolckensteinensis.

Ἰνυπαυα.

Cū Papa supremus monachorū fautor & au-
 In Petri solio se residere crepet. (tor,
 Legitimi cur ille tori, quæ Petrus adibat,
 Sancta sacerdotes iura subire vetat?
 Scilicet hic etiam cauet, ut sibi cavit ubiq;
 Ne sua, cum Petri consona, vita, foret.
 Leno sit ergo Leo: tu Petri more, G E O R G I,
 Ceciliam sponsam dilige sponse tuam.

M. Matthias Meth Scholæ Salzensis Rector.

Timon

Timon apud Athenæum lib. 7.

δειπνοσοφισῶν.

ὥρη ἐρεῖν, ὥρη δὲ γαμεῖν, ὥρη δὲ πεπαῦσθαι.

EPIGRAMMA.

OMnia tempus habent certa sibi lege statutum,
Et seruat metas actio quæq; suas.
Sic si quis vel amet, vel nubat, siue quiescat,
Tempore succedunt ordine cuncta suo.
Has, **D E V S** & Natura dedit benè prouida leges,
Quas retinere, via conueniente, decet.
His, pie **S P O N S E**, datis video te viuere, metis,
Omnia qui dextrè, conficienda, facis :
Nunc vt ames, nunc vt nubas, tandemq; quiescas,
Ordo quis hoc alius pulchrior esse potest ?
Hic vt amor firmus, connubia fausta, quiesq;
Cum tibi **D I L E C T A**, sit diuturna, precor.

M. Fridericus Piscator Pegauensis.

A L I V D.

FAllor, an humano veniant connubia nutu,
An potius summo prospiciente **D E O** ?
Non equidem fallor : quòd enim connubia Fato
Fiant, exemplo testis es ipse tuo.
Non natale solum, non ampla Budorgis alebat,
Quæ fuerat thalamo digna puella tuo.

B

Boiorum

Boiorum nec erat Zatecensem visa per urbem,
Qua foret in socium suscipienda torum.
Clara licet Philyre multos complexa per annos
Te fuit, & gremio fouit amica suo:
Qua tamen hac, virgo, potuisset in urbe, G E O R G I,
Ledere cor, non est vlla reperta, tuum.
Post ea cum Philyren linquens, ad mœnia Grimma
Tendis, ut expolias corda tenella Schola:
Ecce suis te mox C E C I L I A cepit ocellis,
Ac tetigit casto pectus amore tuum.
Qua quoniam claro traheret primordia patre,
Nataq; laudata de genitrice foret:
Esset adhuc pietatis amans, & adaueta pudicis
Moribus, & Verbi perstudiosa D E I.
Ergo tui consors thalami, de munere Diuum
Cedens, ante alias hac tibi visa fuit.
Nec te decepit, qua cepit, opinio, mentem:
Dum voti compos factus es ipse tui.
Namq; tuum cuius cor inardescerat amore,
En tibi nunc oculos sistitur ante tuos:
Quam tibi coniugij, Christus, prospexerat, autor
Ecce subit thalamum, virgo venusta, tuum.
Ergo serenata letus cape gaudia mente,
Et Superis grates ore decente canas:
Prestantiq; tuam delectes munere mentem,
Quod tibi, siderea fluxit ab arce, datum.
Nempe bonum casta vix est preciosius vllum
Coniuge: nam superis sedibus illa venit.
En tibi gratatur facies pulcerrima rerum,
Quam modo purpureo cernere Vere licet.
Ver dulcis vita socialis imago putatur,
Cælibis ut contra tristis amoris hyems.

Nos

Nos quoq^{ue}, qui sacris dedimus sacra vota Camenis,
Quosq^{ue}, Medusæo fonte bibisse iuuat:
Pectore coniugij toto gratamur honores,
Quos tu, cum sponsa virgine, sponsus inis.
Multa dari possent vitæ præcepta iugalis,
Si non antè tibi cognita, sponse, rear.
Quare (quod facies) sponsa flagrabis amore,
Carior hæc oculis sit maneatq^{ue} tuis:
Est veluti Christus complexus amore fideles,
Pro quibus ipse volens flagra necemq^{ue} tulit.
Dilige tu costam, quæ vitæ cælibe demta,
Nunc rursus lateri reddita costæ venit.
Illa tibi fidum rebus solamen in arctis,
Præsidium vitæ commodioris erit:
Proferet hæc dulcis dulcissima pignora lecti,
Quæ mala, quæ vitæ tædia longa leuent.
Tu quoq^{ue}, sponsa D E O soluas pro munere grates,
Quod tanti venias in sacra iura viri.
Qui multum placida mentem ditauit ab arte,
Et cui molle dedit fundere Musa melos:
Qui Sophia pleno subiens penetrata nisu,
Inde Magisterij præmia digna tulit.
Iam verò, monitus Grimmensem linquere Ludum,
Saluificum Salzæ pascit ouile D E I.
Ergo tuis sponsum complectere suauiter vlnis
Sponsa, fouens tacito gaudia multa sinu.
Hunc reuerenter habe, solum quoq^{ue}, dilige sola:
Huic veluti capiti disce subesse tuo.
Sic crescet genialis amor, sic, auspice Christo,
Excipient vestram commoda mille domum.
Sic erit & sine lite torus: sic tempora vitæ
Ad multos poterunt stare quieta dies:

*Thariada poterunt contingere secula sponso,
Clara Sibyllinos viuere sponsa dies.*

M. Nicolaus Lifsca Olomucensis.

A L I V D.

TEmpore diuinis quo Pascha peregrinus hymnis,
Causa, fatigauit me, reuocata Necis.
Hydra fefellit Euam, mox Eua fefellit Adamum:
Hinc stetit in sexum non leuis ira leuem.
Quæ tamen assuevit sopita quiescere, postquam
Eua quod amisit suaue remisit Aue.
Fœmina causa fuit, mors vt sæuaret in omnes,
Vt mors desineret, fœmina causa fuit.
Altera sic autor mortis fuit, altera vitæ:
Illius hæc odium fregit amore sui.
Ergo licet poteras omnes odisse puellas,
Vnius ob noxam, quæ mala cuncta dedit:
Aequius esse tamen censebis amare puellas
Vnius ob meritum, quæ bona cuncta dedit.
Cum quibus expediet socialem ducere vitam,
Et casti sobolem gignere Marte tori.
Est bona virginitas, sed, virginitate retenta
Omnibus, omnis erat vita futura cinis.
Ergo propagandis fac idonea fœdera natis:
Et fuge, ceu Sathanæ, turpe lupanar, opus.
Gratulor idcirco, quòd ames & ameris ab vna:
Quæ te sit socium digna vocare tori.
Quæ se laudatis gaudere parentibus optam
Debeat, & clari luce nitescat aui.

PEILIN-

PEILINGI præstantis aui, quo consule nixa
 Vrbs fortunatam se Philyræa vocat.
 Quem sua canicies, & mitis ruga seueræ
 Frontis, & integritas Diis facit esse parem.
 Nec modò commendat generis præstantia sponsam :
 Ipsa suas dotes, vnde refulget, habet.
 Moribus est blandis, capitisq; puella pudici:
 Qualis in hoc æuo rara videtur auis.
 Est pia, quæ virtus alias complectitur omnes,
 Insuper est annis mollis, & apta regi.
 Deniq; (quod nolunt aliqui quæsisse videri :
 Et tamen inquirunt) est speciosa genas :
 Est speciosa comas, est os speciosa, quid vltra ?
 Cuncta venustatis plena lepore vides.
 Mille fluunt Charites ridentis ab eius ocellis,
 In quibus, exercens spicula, ludit Amor.
 Ludit & emissio sic lædit acumine sponsum,
 Iam sit vt alterius, qui suus antè fuit.
 Scilicet ex oculis oculi sibi vulnera quærunt,
 Aliger hîc Veneris castra puellus habet.
 Lumina virgo viri, vir virginis inspicere nunquam,
 Nam tener insidias inde Cupido struit.
 Sicut in Euripo fluit & vaga refluit vnda:
 Non secus ex illis itq; reditq; malum.
 Aut nisi parueris, tibi te subducet, & omni
 Libertate ferox despoliabit Amor.
 Hoc doceat sponsus, qui iam sua vincula sentit.
 Sed benè vincitur, quem pia nupta ligat,
 Atq; decens, vt sponsa recens, quæ vinceret illam,
 In precium verso quæ Ioue læsa fuit.
 Gratulor idcirco, quòd amans redametur ab illa,
 In socium quæ sit digna venire torum.

Gratulor & sponsæ, quòd amans redametur ab illo,
Quem thalamo dignum nouerit esse suo.
Nanq; licet non est, vt non est, nobilis ortu:
Arte tamen meruit nobilis esse sua,
Et reliquis donis, quibus est diuinitus auctus:
Quorum si numerum promptus inire velim:
Cur non & Veris flores, æstatis aristas,
Autumni aut hyemis dicere coner opes?
Sed tamen, vt pateat, quali sociata marito
Sponsa sit, ex multis pauca referre placet.
Si quem Candoris, si quem pietatis & æqui,
Si quem cura sacrae Religionis habet:
Fallor? an est sponsus: sed quid tamen inquit? fallor:
Est, scio: Nam talem se probat esse virum.
A teneris datus est puer in sacraria CHRISTI,
Missus in Aonidum, (docta Lycea) sinum.
Hinc, vbi diuinos in pectore concipit ignes,
Condit Apollinea carmina digna chely.
Nec miror, siquidem Musis aduagijt infans,
Quas puero Cygni credo dedisse sonos.
Quin & apes teneris mel congefisse labellis,
Quod de Dyrcaeo fertur olore, putem:
Tam suavis docto facundia manat ab ore,
Quando perorando mystica sensa docet.
Dieta, lepore, linit, non rus sapiente sed urbem,
Cum mouet argutos & sine felle sales.
Nec phalerata iacit tantum sine pondere verba:
Adiungit rebus sed bona verba bonis.
Hic vir hic est, si Fata sinent, vt viuere pergat,
Quem spondet magnum spes fore magna virum.
Ergo tibi grator, quòd ames, & ameris ab illo,
Perfuso tantis, ô noua sponsa, bonis.

Vastaq;

Vastaq; quot cœli florent laquearia stellis :
Tot vobis hilari commoda mente precor.
Dii faciant, vt amor iuuenescat in omnia vester
Secula, ceu uerno Sole renatus ager.
Fœcundisq; velint implere cubilia natis,
In quibus est sacri fixa medulla tori.

M. Huldéricus Schoberus.

Ψαλμὸς ἑκατὸς εἰκοστὸς ὄγδοϞ ἀντ' εὐχῆς γα-
μηλίας, ὑπὸ Ἰωάννου Ρωερίανδ' Βρενοπο-
λίτη μεταφραστῆς.

Τρίς μάκαρ ἄνθρωπϞ καὶ τετράκις, ὅτε θεοῖο
Εἰδὼς ὑψιμεδοντϞ ὄπιν, πῶι κῆρι ἐκείνῃ
Αἰὲν ὑπεννεσιῶν μελέτῳ ἔχῃ ἠγαθεάων :
Αἰὲν ἀλυσκάζῃ κακίῳ καὶ χέτλια ἔργα :
Αἰὲν ἀτασθαλίας συγῆ, συγῆ δέ τε ἀνδρῶν
Οἶμον ἀλιτροβίων σκολιῶν, καὶ ὄρθα κέλευθα
Εὐσεβίης σείχων τὸ θεόστυτον ἴχνϞ ἐπέιγῃ.

Παμμάκαρ ἐοσί γ' ἄνερ βροτῆ, καὶ θεὸς ὑψιγύεθλϞ
Τοὶ ἀγαθὸν τελέσῃ ὅ,τι κε φρεσὶ σῆσι μενοινᾶς.
Ἀπρήκλις ἐπεὶ ἔχῃρων ὑδρῶτασ ἀάπτῳ
Οὐδὲ ἀκοίμητον κάματον μεταμῶλιον ἔρξῃ
Εμμεν', ἀτὰρ πῶσιϞ καὶ ἐδητύϞ ἤλιθα πολλῆς
ΠασάμενϞ φρενὰ γηθήσῃσ λητονόσφι μεριμνῶν.

Ἦυτε δ' ἀρ τεταίνυσο περ' ὑψορόφοιο μελάθρῃ
Ἡμερὶς ἠβῶωσα, πολυπλόρθοις δὲ κορύμβοις
Βεβρίθῃ πετάλοιστε, τεθήλῃ δὲ σαφυλῆσιν.
Ὡσ σέο θηλήσῃ πολύπαισ παράκκοιτις ἐχέφρων.
Ὡσ δέ τε δρετίφυτοι θάμνοι ταυφύλλῃσ ἐλαίῃσ

Ἀκμῶσι

Ἀκμῶσι θαλέθοντες ἐκύκλωσαν μέγα ἔρεθρον
Ἐξείης, ὡς τέκνα τῆς προπάροιθε τραπέζης
Ἐνθα καὶ ἔνθα παραστάντ' ἀθρόα (θαῦμα ἰδέσθαι)
Τέρψει αἰεὶ σοὶ θυμὸν ἐνὶ στήθεσι φίλοισι.

Τῆτο δὲ καὶ τόσον θρησκείῃ ἀμύμον' ὄνταρ
Ἀτρεκέως ἐφομαρήσῃ, τόδε δῶρον ἐστίται
Ἀνδράσ' ὀπιζομένοισι θεῶϊότητα γεραίω.

Ἀλλὰ σοὶ ἐυρυμέδων βασιλεὺς φίλα ἐν φρεσὶ πολλὰ
φραζόμενον, Σιών ἀπ' ἔρεθρον ἀκροπόλοιο
Ὀλβον καὶ πλεῖστον μενοεικέα ἐγὼ αἰετίζῃ:
Ὡς κε τεθηλῆαν κοίλῳ πόλιν Ἱεροσολύμων
Ὀφθαλμοῖσιν ἐσταθρήσθηθα διαμπερές αἰέν,
Ἡδὲ φίλον κῆρ γηθόσῳ παίδων εἴχας ἐξείης
Παμπολέας, παίδων θ' ἅμα παῖδας ὁμοφρονέοντας
Ναιετάαν ὀρόηθ' ὁμὰ δώματα χάσμα ἰδέσθαι.

Latina eiusdem Psalmi paraphrasis eodem autore.

○ Fortunatos nimium, qui pectora cunctis
Ima inculpatae pietatis amore feruntur
Succensi, quos ardor agit Rectoris olympi
Imperio parere, sacrisque recondita libris
Sponte sequi praecipia iuuat, iuuat ire sub horum
Amplexus crebros: haec una & sola voluptas.
O fortunatum! Neque enim pars vlla laboris
Exhausti incassum cadet, aut defessa labore
Membra catenato vana spe ludet iniquus
Exitus: At tepidum manantem corpore toto
Sudorem aspiciens vultu Fortuna sereno
Omnia sufficiet, vitae quorum indiget usus.

Qualis

Qualis & ante domum lateri circumdatus auras
Lætus ad ætherias laxis se palmas habenis
Erigit, & latè frondes pendentibus vuīs
Explicat eximios, fortunatumq; laborum
Cultorem videas gaudere tumentibus vuīs.
Haud aliter thalami consors foecunda iugalis
Læticia demulcebit (mirabile dictu)
Pectus, & innumera faciet te prole parentem.

Ac veluti multam latè crescentis oliuæ
Montibus in summis Syriæ pulcerrima tellus,
Tellus ampla, potens armis atq; vberè glebæ,
Educit prolem : Hanc dulci complectitur omnem
Ipsa parens vmbra. Tua sic longo ordine circum
Pignora, sic mensam cingent florente corona.

En pietatis honos ! En hæc tibi cœlicolûm Rex
Præmia persoluet, memori quicunq; notabis
Illius mandata animo, quicunq; timore
Syncero duce, dum superas, dum vesceris aura
Aethera, gressu figes vestigia cauto !
Cuncta secundabit Superi Regnator olympi
Vota bonus felixq; tibi, & ditabit opum vi
Ingenti sacro de monte Sionis, & omne
Quodcunq; exoptas fortuna sequetur amica.

Tum verò fatis Solymam felicibus vti
Conspicies, dum sanguis erit, dum vita manebit.
Nec non delicias animi denso agmine natos,
Et natos natorum & qui nascentur ab illis,
Aeternam inter se pacem exercere videbis.

VOTVM NYPTIALE.

Gratia prima quidem tribuenda parentibus: vnquã
Nulla quibus reddi gratia digna potest.

C

Namq;

Namq; quod ætherea lætus iam vefceris aura,
Præbita quod puero sunt alimenta tibi:
Quis, nisi mentis inops, curæ studioq; parentum
Acceptum vero iure referre neget?
At non inferior vitæ morumq; magistris,
Pro tantis meritis est tribuendus honor.
Quot videas etenim pueros ætate tenella
Diffimiles rabidis nil feritate feris.
Hæc morum ruditas æuo creberrima nostro
Emendatoris tollitur arte boni.
Hæc etenim emollit rude pectus, & artis egenum
Exiguus spacijs arte valere facit.
Ergo maritali teneram dum fœdere nuptam,
Iungere fert animus, vir reuerende, tibi.
Cui, mea Castalijs cum fontibus, ora lauares,
Nil reliquum studij siue laboris erat.
Tantum memorem meritorum pectore ab imo,
Gratari thalamo fas reor esse nouo.
Vos igitur iuuenes sacrarum cura fororum,
Sollicita mecum voce rogate DEVM.
Qui sacra coniugij sanxisti fœdera CHRISTE,
Atq; homines casta viuere mente iubes.
Huc ades atq; nouo placidum te ostende marito,
Cui potius nihil est quam tua iussa sequi.
Nam casto sacras versat sub pectore flammæ
Et casto sponsæ flagrat amore suæ.
Da faciles cursus, quo sit mens vna duobus,
Teq; suum agnoscant mente fideq; DEVM.

Iosephus Fürst VVratis-
lauiensis.

VOTVM

V O T V M.

Quod pietas me, sponse, iubet, quod amica voluntas
Exigit, hæc thalamis suscito vota tuis.
Vota Deo, sponsisq; pijs pia vota probantur,
Vota torum plus quàm regia dona iuuant.
Ergo Christe sacri sanctissime fautor amoris,
Hospes ad hoc fædus coniugiale veni.
Et facilis clemensq; veni, Flatu effice sancto,
Vnus ut in bino pectore regnet amor.
Vna sit ambobus mens semper, & una voluntas,
Sit procul omne malum, non sit amaror amor.
Te presente pijs quondam in Galleide Cana
Conuersa est sponsis in mera fontis aqua:
Numine tu simili firma socialia iura,
Dulce merum fiat simplicis humor aquæ.
Infestum à castis thalamis Asmodena pelle,
Ignitos varia qui struit arte dolos.
Ne ledat diris fœdissima corda venenis,
Namq; studet sanctum tollere fraude statum.
Da sobolem, quæ post non desinat omine fausto
Tattare, & quadrupes carpere sepe viam.
Donec ouans aliquando pedes contingat, & hærens
Mi Patel, incipiat dicere, Matel ubi est.
Hæc ego sponse precor, precor hæc tibi sponsa, secundet
Vota Deus casti fons & origo tori.

Samuel Reinhardt Brigenfis.

F I N I S.

QK 2/4077

X2207718

mc





Hal. 7795

Z
4077

is Epithalamij.
TIVITATE NV-
PTIARVM

RENDI VI-
IOSA PIETATE,
QVE DOCTRINA ERV-
mi Dn.M.GEORGII VVEIN-
aconi Ecclesiae Saliffensis in
uringia fidelis.

ET
SIMÆ VIRGI-
LIÆ, INTEGERRI-
VWOLFGANGI PEILICCI,
æ illustris ad Muldam Oeco-
eliætæ filia, νεογάμων.

orum appreciatione, ab ami-
ominis ergò decantati.

Calend. Maias. Anni

D. LXXV.

1897/193. 223

I P S I A E.

EBAT IOANNES
E I N M A N.

BIBLIOTHECA
NICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8